

PRUDENCE

PSYCHOMACHIA (982 vers)

PRAEFATIO

P1 v.1 Senex fidelis prima credendi via
 2 Abram, beati seminis serus pater,
 3 adjecta cuius nomen auxit syllaba,
 4 Abram parenti dictus, Abraham Deo,
 5 senile pignus qui dicavit victimae,
 6 docens ad aram cum litare quis velit,
 7 quod dulce cordi, quod pium, quod unicum
 8 deo libenter offerendum credito,
 9 pugnare nosmet cum profanis gentibus
 10 suasit, suumque suasor exemplum dedit,
 11 nec ante prolem conjugalem gignere
 12 deo placentem, matre virtute editam,
 13 quam strage multa bellicosus spiritus
 14 portenta cordis servientis vicerit.
 15 Victum feroces forte reges ceperant
 16 Loth inmorantem criminosis urbibus
 17 Sodomae et Gomorrae, quas fovebat advena
 18 pollens honore patruelis gloriae.
 19 Abram sinistris excitatus nuntiis
 20 audit propinquum sorte captum bellica
 21 servire duris barbarorum vinculis :
 22 armat trecentos terque senos vernulas,
 23 pergant ut hostis terga euntis caedere.
 24 Quem gaza dives ac triumphus nobilis
 25 captis tenebant inpeditum copiis.
 26 Quin ipse ferrum stringit et plenus deo
 27 reges superbos mole praedarum graves
 28 pellit fugatos, sauciatos proterit,
 29 frangit catenas et rapinam liberat :
 30 aurum, puellas, parvulos, monilia,
 31 greges equarum, vasa, vestem, buculas.
 32 Loth ipse ruptis expeditus nexibus
 33 attrita bacis colla liber erigit.
 34 Abram triumpho dissipator hostici
 35 redit recepta prole fratris inclytus
 36 ne quam fidelis sanguinis prosapiam
 37 vis pessimorum possideret principum.
 38 Adhuc recentem caede de tanta virum
 39 donat sacerdos ferculis caelestibus,
 40 dei sacerdos, rex et idem praepotens,
 41 origo cuius fonte inenarrabili
 42 secreta nullum prodit auctorem sui,
 43 Melchisedech, qua stirpe, quis majoribus
 44 ignotus, uni cognitus tantum deo.
 45 Mox et triformis angelorum trinitas
 46 senis revisit hospitis mapalia,
 47 et jam vietam Sarra in alvum fertilis

48 munus juventae mater exsanguis stupet,
 49 herede gaudens, et cachinni paenitens.
 50 Haec ad figuram praenotata est linea,
 51 quam nostra recto vita resculpat pede :
 52 vigilandum in armis pectorum fidelium,
 53 omnemque nostri portionem corporis,
 54 quae capta foedae serviat libidini,
 55 domi coactis liberandam viribus ;
 56 nos esse large vernularum divites,
 57 si quid trecenti bis novenis additis
 58 possint figura noverimus mystica.
 59 Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est,
 60 parente inenarrabili atque uno satus,
 61 cibum beatis offerens victoribus
 62 parvam pudici cordis intrabit casam,
 63 monstrans honorem trinitatis hospitaetae.
 64 Animam deinde spiritus complexibus
 65 pie maritam, prolis expertem diu,
 66 faciet perenni fertilem de semine,
 67 tunc sera dotem possidens puerpera
 68 herede digno patris implebit domum.

PSYCHOMACHIA

P2 v.1 Christe, graves hominum semper miserate labores,
 2 qui patria virtute cluis propriaque, sed una,
 3 (unum namque deum colimus de nomine utroque,
 4 non tamen et solum, quia tu deus ex patre, Christe)
 5 dissere, rex noster, quo milite pellere culpas
 6 mens armata queat nostri de pectoris antro,
 7 exoritur quotiens turbatis sensibus intus
 8 seditio atque animam morborum rixa fatigat,
 9 quod tunc praesidium pro libertate tuenda
 10 quaeve acies furiis inter praecordia mixtis
 11 obsistat meliore manu. Nec enim, bone ductor,
 12 magnarum virtutum inopes nervisque carentes
 13 Christicolae vitiis populantibus exposuisti.
 14 Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas
 15 depugnare jubes, ipse excellentibus armas
 16 artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
 17 oppugnanda potens tibi dimicet et tibi vincat.
 18 Vincendi praesens ratio est, si comminus ipsas
 19 virtutum facies et conluctantia contra
 20 viribus infestis liceat portenta notare.
 21 Prima petit campum dubia sub sorte duelli
 22 pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
 23 nuda umeros, intonsa comas, exerta lacertos ;
 24 namque repentinus laudis calor ad nova fervens
 25 proelia nec telis meminit nec tegmine cingi,
 26 pectore sed fidens valido membrisque relectis
 27 provocat insani frangenda pericula belli.
 28 Ecce lacescentem conlatis viribus audet
 29 prima ferire Fidem Veterum Cultura Deorum.
 30 Illa hostile caput phalerataque tempora vittis
 31 altior insurgens labefactat, et ora cruore
 32 de pecudum satiata solo adplicat et pede calcat

33 elisos in morte oculos, animamque malignam
 34 fracta intercepti commercia gutturis artant,
 35 difficilemque obitum suspiria longa fatigant.
 36 Exultat victrix legio, quam mille coactam
 37 martyribus regina Fides animarat in hostem.
 38 Nunc fortes socios parta pro laude coronat
 39 floribus ardentique jubet vestiri ostro.
 40 Exim gramineo in campo concurrere prompta
 41 virgo Pudicitia speciosis fulget in armis,
 42 quam patrias succincta faces Sodomita Libido
 43 adgreditur piceamque ardenti sulphure pinum
 44 ingerit in faciem pudibundaque lumina flammis
 45 adpetit, et taetro temptat subfundere fumo ;
 46 sed dextram furiae flagrantis et ignea dirae
 47 tela lupae saxo ferit inperterrita virgo,
 48 excussasque sacro taedas depellit ab ore.
 49 Tunc exarmatae jugulum meretricis adacto
 50 transfigit gladio ; calidos vomit illa vapores
 51 sanguine concretos caenoso, spiritus inde
 52 sordidus exhalans vicinas polluit auras.
 53 "Hoc habet", exclamat victrix regina, "supremus
 54 hic tibi finis erit, semper prostrata jacebis,
 55 nec jam mortiferas audebis spargere flammis
 56 in famulos famulasve Dei, quibus intima casti
 57 vena animi sola fervet de lampade Christi.
 58 Tene, o vexatrix hominum, potuisse resumptis
 59 viribus extincti capitis recalescere flatu,
 60 Assyrium postquam thalamum cervix Olofernus
 61 caesa cupidineo madefactum sanguine lavit,
 62 gemmantemque torum moechi ducis aspera Judith
 63 sprexit et incestos conpescuit ense furores,
 64 famosum mulier referens ex hoste tropaeum
 65 non trepidante manu vindex mea caelitus audax !
 66 At fortasse parum fortis matrona sub umbra
 67 legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat,
 68 vera quibus virtus terrena in corpora fluxit,
 69 grande per infirmos caput excisura ministros.
 70 Numquid et intactae post partum virginis ullum
 71 fas tibi jam superest ? Post partum virginis, ex quo
 72 corporis humani naturam pristina origo
 73 deseruit carnemque novam vis ardua sevit,
 74 atque innupta Deum concepit femina Christum,
 75 mortali de matre hominem, sed cum patre numen.
 76 Inde omnis jam diva caro est quae concipit illum
 77 naturamque Dei consortis foedere sumit.
 78 Verbum quippe caro factum non destitit esse
 79 quod fuerat, Verbum, dum carnis glutinat usum,
 80 majestate quidem non degenerante per usum
 81 carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
 82 Ille manet quod semper erat, quod non erat, esse
 83 incipiens ; nos, quod fuimus, jam non sumus, aucti
 84 nascendo in melius ; mihi contulit et sibi mansit ;
 85 Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
 86 dum tribuit nosmet dona ad caelestia vexit.
 87 Dona haec sunt, quod victa jaces, lutulenta Libido,
 88 nec mea post Mariam potis es perfringere jura.
 89 Tu princeps ad mortis iter, tu janua leti,
 90 corpora conmaculans animas in tartara mergis.

91 Abde caput tristi, jam frigida pestis, abysso ;
 92 occide, prostibulum ; manes pete, claudere Averno,
 93 inque tenebrosum noctis detrudere fundum.
 94 Te volvunt subter vada flammea, te vada nigra,
 95 sulphureusque rotet per stagna sonantia vertex,
 96 nec jam Christicolas, furiarum maxima, temptes,
 97 ut purgata suo serventur corpora regi."
 98 Dixerat haec, et laeta Libidinis interfectae
 99 morte Pudicitia gladium Jordanis in undis
 100 abluit infectum, sanies cui rore rubenti
 101 haeserat et nitidum macularat vulnere ferrum.
 102 Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
 103 victricem victrix, abolens baptismate labem
 104 hostilis juguli ; nec jam contenta piatum
 105 condere vaginae gladium, ne tecta rubigo
 106 occupet ablutum scabrosa sorde nitorem,
 107 catholico in templo divini fontis ad aram
 108 consecrat, aeterna splendens ubi luce coruscet.
 109 Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu
 110 per medias inmota acies variosque tumultus
 111 vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis
 112 spectabat defixa oculos et lenta manebat.
 113 Hanc procul Ira tumens, spumanti fervida rictu,
 114 sanguinea intorquens subfuso lumina felle,
 115 ut belli exsortem teloque et voce laccessit,
 116 impatiensque morae conto petit, increpat ore,
 117 hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
 118 "En tibi Martis," ait, "spectatrix libera nostri,
 119 excipe mortiferum securo pectore ferrum,
 120 nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem."
 121 sic ait, et stridens sequitur convicia pinus
 122 per teneros crispata notos, et certa sub ipsum
 123 defertur stomachum rectoque inluditur ictu,
 124 sed resilit duro loricae excussa repulso ;
 125 provida nam Virtus conserto adamante trilicem
 126 induerat thoraca umeris squamosaque ferri
 127 texta per intortos commiserat undique nervos.
 128 Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
 129 telorum nimbos et non penetrabile durans.
 130 Nec mota est jaculo monstri sine more furentis,
 131 opperiens propriis perituram viribus Iram.
 132 Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
 133 barbara bellatrix inpenderat et jaculorum
 134 nube supervacua lassaverat inrita dextram,
 135 cum ventosa levi cecidissent tela volatu,
 136 jactibus et vacuis hastilia fracta jacerent,
 137 vertitur ad capulum manus improba, et ense corusco
 138 conisa in plagam dextra sublimis ab aure
 139 erigitur mediumque ferit librata cerebrum.
 140 Aerea sed cocto cassis formata metallo
 141 tinnitum percussa refert aciemque retundit
 142 dura resultantem, frangit quoque vena rebellis
 143 inlism chalybem, dum cedere nescia cassos
 144 excipit adsultus ferienti et tuta resistit.
 145 Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit,
 146 et procul in partes ensem crepuisse minutas,
 147 jam capulum retinente manu sine pondere ferri,
 148 mentis inops ebur infelix decorisque pudendi

149 perfida signa abicit monumentaque tristia longe
150 spernit, et ad proprium succenditur effera letum.
151 Missile de multis, quae frustra sparserat, unum
152 pulvere de campi perversos sumit in usus :
153 rasile figit humi lignum ac se cuspage versa
154 perfodit et calido pulmonem vulnere transit.
155 Quam super adsistens Patientia : "Vicimus", inquit,
156 "exultans Vitium solita virtute, sine ullo
157 sanguinis ac vitae discrimine ; lex habet istud
158 nostra genus belli, furias omnemque malorum
159 militiam et rabidas tolerando extinguere vires.
160 Ipsa sibi est hostis vesania seque furendo
161 interimit moriturque suis Ira ignea telis."
162 haec effata secat medias inpune cohortes,
163 egregio comitata viro ; nam proximus Iob
164 haeserat invictae dura inter bella magistrae,
165 fronte severus adhuc et multo funere anhelus,
166 sed jam clausa truci subridens ulcera vultu,
167 perque cicatricum numerum sudata recensens
168 millia pugnarum, sua praemia, dedecus hostis.
169 Illum diva jubet tandem requiescere ab omni
170 armorum strepitu, captis et perdita quaeque
171 multiplicare opibus, nec jam peritura referre.
172 Ipsa globos legionum et concurrentia rumpit
173 agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres.
174 Omnibus una comes virtutibus adsociatur,
175 auxiliumque suum fortis Patientia miscet.
176 Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
177 virtus ; nam vidua est quam non Patientia firmat.
178 Forte per effusas inflata Superbia turmas
179 effreni volitabat equo, quem pelle leonis
180 texerat et validos villis oneraverat armos,
181 quo se fulta jubis jactantius illa ferinis
182 inferret, tumido despectans agmina fastu.
183 Turritum tortis caput adcumularat in altum
184 crinibus, extractos augeret ut addita cirros
185 congeries celsumque apicem frons ardua ferret.
186 Carbasa ex umeris summo collecta coibat
187 palla sinu teretem nectens a pectore nodum.
188 A cervice fluens tenui velamine limbus
189 concipit infestas textis turgentibus auras.
190 Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
191 inpatiens madidis frenarier ora lupatis ;
192 huc illuc frendens obvertit terga, negata
193 libertate fugae, pressisque tumescit habenis.
194 Hoc sese ostentans habitu ventosa virago
195 inter utramque aciem supereminet et phaleratum
196 circumflectit equum, vultuque et voce minatur,
197 adversum spectans cuneum, quem milite raro
198 et paupertinis ad bella coegerat armis
199 Mens Humilis, regina quidem, sed egens alieni
200 auxilii proprio nec sat confisa paratu.
201 Spem sibi collegam conjunxerat, edita cujus
202 et suspensa ab humo est opulentia divite regno.
203 Ergo Humilem postquam male sana Superbia Mentem
204 vilibus instructam nullo ostentamine telis
205 aspicit, in vocem dictis se effundit amaris :
206 "Non pudet, o miseri, plebeio milite claros

207 adtemptare duces ferroque lacesere gentem
 208 insignem titulis, veteres cui bellica virtus
 209 divitias peperit, laetos et gramine colles
 210 imperio calcare dedit ? Nunc advena nudus
 211 nititur antiquos, si fas est, pellere reges !
 212 En qui nostra suis in praedam cedere dextris
 213 sceptrata volunt ! En qui nostras sulcare novalis
 214 arvaque capta manu populariter hospite aratro
 215 contendunt, duros et pellere Marte colonos !
 216 Nempe, o ridiculum vulgus, natalibus horis
 217 totum hominem et calidos a matre amplectimur artus,
 218 vimque potestatum per membra recentis alumni
 219 spargimus, et rudibus dominamur in ossibus omnes.
 220 Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
 221 congenitis cum regna simul ditionibus aequo
 222 robore crescebant ? Nati jam luce sub una
 223 et domus et domini paribus adolevimus annis,
 224 ex quo plasma novum de consaepto paradisi
 225 limite progrediens amplum transfugit in orbem,
 226 pellitosque habitus sumpsit venerabilis Adam,
 227 nudus adhuc, ni nostra foret praecepta secutus.
 228 Quisnam iste ignotis hostis nunc surgit ab oris
 229 inportunus, iners, infelix, degener, amens,
 230 qui sibi tam serum jus vindicat, hactenus exul ?
 231 Nimirum vacuae credentur frivola fama,
 232 quae miseros optare jubet quandoque futuri
 233 spem fortasse boni, lenta ut solacia mollem
 234 desidiam pigro rerum meditamine palpent.
 235 Quidni illos spes palpet iners, quos pulvere in isto
 236 tirones Bellona truci non excitat aere,
 237 inbellesque animos virtus tepefacta resolvit ?
 238 Anne Pudicitiae gelidum jecur utile bello est ?
 239 An tenerum Pietatis opus sudatur in armis ?
 240 Quam pudet, o Mavors et virtus conscia, talem
 241 contra stare aciem ferroque lacesere nugas,
 242 et cum virgineis dextram conferre choreis,
 243 Justitia est ubi semper egens et pauper Honestas,
 244 arida Sobrietas, albo Jejunia vultu,
 245 sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperta
 246 Simplicitas et ad omne patens sine tegmine vulnus,
 247 et prostrata in humum nec libera iudice sese
 248 Mens Humilis, quam degenerem trepidatio prodit !
 249 Faxo ego, sub pedibus stipularum more teratur
 250 invalida ista manus ; neque enim perfringere duris
 251 dignamur gladiis, argenti et sanguine ferrum
 252 inbuere fragilique viros foedare triumpho."
 253 Talia vociferans rapidum calcaribus urget
 254 cornipedem laxisque volat temeraria frenis,
 255 hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
 256 sternere dejectamque supercalcare ruinam.
 257 Sed cadit in foveam praeceps, quam callida forte
 258 Fraus interciso subfoderat aequore furtim,
 259 Fraus detestandis Vitiorum e pestibus una,
 260 fallendi versuta opifex, quae praescia belli
 261 planitiem scrobibus vitiaverat insidiosis
 262 hostili de parte latens, ut fossa ruentes
 263 exciperet cuneos atque agmina mersa voraret ;
 264 ac ne fallacem puteum deprendere posset

265 cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
 266 et superinposito simularat caespite campum.
 267 At regina humilis, quamvis ignara, manebat
 268 ulteriore loco nec adhuc ad Fraudis opertum
 269 venerat aut foveae calcarat furta malignae.
 270 Hunc eques illa dolum, dum fertur praepete cursu,
 271 incidit, et caecum subito patefecit hiatum.
 272 Prona ruentis equi cervice involvitur, ac sub
 273 pectoris inpressu fracta inter crura rotatur.
 274 At Virtus placidi moderaminis, ut levitatem
 275 prospicit obtritam monstri sub morte jacentis,
 276 intendit gressum mediocriter, os quoque parce
 277 erigit et comi moderatur gaudia vultu.
 278 Cunctanti Spes fida comes succurrit et offert
 279 ultorem gladium laudisque inspirat amorem.
 280 Illa cruentatam correptis crinibus hostem
 281 protrahit et faciem laeva revocante supinat,
 282 tunc caput orantis flexa cervice resectum
 283 eripit ac madido suspendit colla capillo.
 284 Extinctum Vitium sancto Spes increpat ore :
 285 "desine grande loqui ; frangit deus omne superbum,
 286 magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
 287 Disce supercilium deponere, disce cavere
 288 ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
 289 Pervulgata viget nostri sententia Christi
 290 scandere celsa humiles et ad ima redire feroces.
 291 Vidimus horrendum membris animisque Goliam
 292 invalida cecidisse manu : puerilis in illum
 293 dextera fundali torsit stridore lapillum
 294 trajectamque cavo penetravit vulnere frontem.
 295 Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
 296 dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
 297 dum sese ostentat, clipeo dum territat auras,
 298 expertus pueri quid possint ludicra parvi
 299 subcubuit teneris bellator turbidus annis.
 300 Me tunc ille puer virtutis pube secutus
 301 florentes animos sursum in mea regna tetendit,
 302 servatur quia certa mihi domus omnipotentis
 303 sub pedibus domini, meque ad sublime vocantem
 304 victores caesa culparum labe capessunt."
 305 dixit, et auratis praestringens aera pinnis
 306 in caelum se virgo rapit. Mirantur euntem
 307 Virtutes tolluntque animos in vota volentes
 308 ire simul, ni bella duces terrena retardent.
 309 Confligunt Vitiis seque ad sua praemia servant.
 310 Venerat occiduis mundi de finibus hostis :
 311 Luxuria, extinctae jamdudum prodiga famae,
 312 delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
 313 perdita deliciis, vitae cui causa voluptas,
 314 elumbem mollire animum, petulanter amoenas
 315 haurire inlecebras et fractos solvere sensus.
 316 Ac tunc pervigilem ructabat marcida cenam,
 317 sub lucem quia forte jacens ad fercula raucos
 318 audierat lituos, atque inde tepentia linquens
 319 pocula lapsanti per vina et balsama gressu
 320 ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
 321 Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
 322 saucia mirantum capiebat corda virorum.

323 O nova pugnandi species ! Non ales harundo
 324 nervum pulsa fugit, nec stridula lancea torto
 325 emicat amento, frameam nec dextra minatur ;
 326 sed violas lasciva jacit foliisque rosarum
 327 dimicat et calathos inimica per agmina fundit.
 328 Inde eblanditis Virtutibus halitus inlex
 329 inspirat tenerum labefacta per ossa venenum,
 330 et male dulcis odor domat ora et pectora et arma
 331 ferratosque toros oblioso robore mulcet.
 332 Deiciunt animos ceu victi et spicula ponunt,
 333 turpiter, heu, dextris languentibus obstupefacti
 334 dum currum varia gemmarum luce micantem
 335 mirantur, dum bratteolis crepitantia lora
 336 et solido ex auro pretiosi ponderis axem
 337 defixis inhiant obtutibus et radiorum
 338 argento albentem seriem, quam summa rotarum
 339 flexura electri pallentis continet orbe.
 340 Et jam cuncta acies in deditiois amorem
 341 sponte sua versis transibat perfida signis
 342 Luxuriae servire volens dominaeque fluentis
 343 jura pati et laxa ganeorum lege teneri.
 344 Ingemuit tam triste nefas fortissima Virtus
 345 Sobrietas, dextro socios decedere cornu
 346 invictamque manum quondam sine caede perire.
 347 Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo
 348 dux bona praetulerat, defixa cuspide sistit,
 349 instauratque levem dictis mordacibus alam
 350 exstimulans animos nunc probris, nunc prece mixta :
 351 "Quis furor insanas agitat caligine mentes ?
 352 Quo ruitis ? Cui colla datis ? Quae vincula tandem,
 353 pro pudor, armigeris amor est perferre lacertis,
 354 lilia luteolis interlucentia sertis
 355 et ferrugineo vernantes flore coronas ?
 356 His placet adsuetas bello jam tradere palmas
 357 nexibus, his rigidas nodis innectier ulnas,
 358 ut mitra caesariem cohibens aurata virilem
 359 conbibat infusum croceo religamine nardum,
 360 post inscripta oleo frontis signacula, per quae
 361 unguentum regale datum est et chrisma perenne,
 362 ut tener incessus vestigia syrmate verrat
 363 sericaque infractis fluitent ut pallia membris,
 364 post inmortalem tunicam quam pollice docto
 365 texuit alma Fides, dans inpenetrabile tegmen
 366 pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci,
 367 inde ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
 368 despuat effusi spumantia damna Falerni
 369 in mensam cyathis stillantibus, uda ubi multo
 370 fulcra mero veterique toreumata rore rigantur ?
 371 Excidit ergo animis eremi sitis, excidit ille
 372 fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
 373 elicuit scissi salientem vertice saxi ?
 374 Angelicusne cibus prima in tentoria vestris
 375 fluxit avis, quem nunc sero felicior aevo
 376 vespertinus edit populus de corpore Christi ?
 377 His vos inbutos dapibus jam crapula turpis
 378 Luxuriae ad madidum rapit inportuna lupanar,
 379 quosque viros non Ira fremens, non idola bello
 380 cedere compulerant, saltatrix ebria flexit !

381 State, precor, vestri memores, memores quoque Christi
 382 quae sit vestra tribus, quae gloria, quis deus et rex,
 383 quis dominus meminisse decet. Vos nobile Judae
 384 germen ad usque dei genetricem, qua deus ipse
 385 esset homo, procerum venistis sanguine longo.
 386 Excitet egregias mentes celeberrima David
 387 gloria continuis bellorum exercita curis,
 388 excitet et Samuel, spoliū qui divite ab hoste
 389 adtrectare vetat nec victum vivere regem
 390 incircumcisum patitur, ne praeda superstes
 391 victorem placidum recidiva in proelia poscat.
 392 Parcere jam capto crimen putat ille tyranno,
 393 at vobis contra vinci et subcumbere votum est.
 394 Paeniteat, per si qua movet reverentia summi
 395 numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
 396 proditione sequi ; si paenitet, haud nocet error.
 397 Paenituit Jonatham jejunia sobria dulci
 398 conviolasse favo sceptri mellisque sapore
 399 heu male gustato, regni dum blanda voluptas
 400 oblectat juvenem jurataque sacra resolvit.
 401 Sed quis paenituit, nec sors lacrimabilis illa est,
 402 nec tinguit patrias sententia saeva secures.
 403 En ego Sobrietas, si conspirare paratis,
 404 pando viam cunctis Virtutibus, ut malesuada
 405 Luxuries, multo stipata satellite, poenas
 406 cum legione sua Christo sub iudice pendat."
 407 sic effata crucem domini ferventibus offert
 408 obvia quadrijugis, lignum venerabile in ipsos
 409 intentans frenos. Quod ut expavere feroces
 410 cornibus obpansis et summa fronte coruscum,
 411 vertunt praecipitem caeca formidine fusi
 412 per praerupta fugam. Fertur resupina reductis
 413 nequiquam loris auriga comamque madentem
 414 pulvere foedatur. Tunc et vertigo rotarum
 415 implicat excussam dominam ; nam prona sub axem
 416 labitur et lacero tardat sufflamine currum.
 417 Addit Sobrietas vulnus letale jacenti,
 418 coniciens silicem rupis de parte molarem.
 419 Hunc vexilliferae quoniam fors obtulit ictum
 420 spicula nulla manu sed belli insigne gerenti,
 421 casus agit saxum, medii spiramen ut oris
 422 frangeret, et recavo misceret labra palato.
 423 Dentibus introrsum resolutis lingua resectam
 424 dilaniata gulam frustis cum sanguinis inplet.
 425 Insolitis dapibus crudescit guttur, et ossa
 426 conliquefacta vorans revomit quas hauserat offas.
 427 "Ebibe jam proprium post pocula multa cruorem",
 428 virgo ait increpitans, "sint haec tibi fercula tandem
 429 tristia praeteriti nimis pro dulcibus aevi.
 430 Lascivas vitae inlecebras gustatus amarae
 431 mortis et horrifico sapor ultimus asperat haustu."
 432 caede ducis dispersa fugit trepidante pavore
 433 nympha acies. Jocus et Petulantia primi
 434 cymbala prociunt ; bellum nam talibus armis
 435 ludebant resono meditantēs vulnera sistro.
 436 Dat tergum fugitivus Amor, lita tela veneno
 437 et lapsum ex umeris arcum pharetramque cadentem
 438 pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.

439 Pompa, ostentatrix vani splendoris, inani
440 exuitur nudata peplo ; discissa trahuntur
441 sarta Venustatis collique ac verticis aurum
442 solvitur, et gemmas Discordia dissona turbat.
443 Non piget adtritis pedibus per acuta fructa
444 ire Voluptatem, quoniam vis major acerbam
445 compellit tolerare fugam ; formido pericli
446 praedurat teneras iter ad cruciabile plantas.
447 Qua se cumque fugax trepidis fert cursibus agmen,
448 damna jacent, crinalis acus, redimicula, vittae,
449 fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
450 His se Sobrietas et totus Sobrietatis
451 abstinet exuviis miles damnataque castis
452 scandala proculcat pedibus, nec fronte severos
453 conivente oculos praedarum ad gaudia flectit.
454 Fertur Avaritia gremio praecincta capaci,
455 quidquid Luxus edax pretiosum liquerat, unca
456 corripuisse manu, pulchra in ludibria vasto
457 ore inhians aurique legens fragmenta caduci
458 inter harenarum cumulos. Nec sufficit amplos
459 inplevisse sinus ; juvat infercire cruminis
460 turpe lucrum et gravidos furtis distendere fiscos,
461 quos laeva celante tegit laterisque sinistri
462 velat opermento ; velox nam dextra rapinas
463 abradit spoliisque unguis exercet aenos.
464 Cura, Famis, Metus, Anxietas, Perjuria, Pallor,
465 Corruptela, Dolus, Commenta, Insomnia, Sordes,
466 Eumenides variae monstri comitatus aguntur.
467 Nec minus interea rabidorum more luporum
468 Crimina persultant toto grassantia campo,
469 matris Avaritiae nigro de lacte creata.
470 Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis
471 germanus vidit conmilito, non timet ensem
472 exerere atque caput socio mucrone ferire,
473 de consanguineo rapturus vertice gemmas.
474 Filius extinctum belli sub sorte cadaver
475 aspexit si forte patris, fulgentia bullis
476 cingula et exuvias gaudet rapuisse cruentas :
477 cognatam Civilis agit Discordia praedam,
478 nec parcat propriis Amor insatiatus Habendi
479 pigneribus spoliatque suos Famis in pia natos.
480 Talia per populos edebat funera victrix
481 orbis Avaritia, sternens centena virorum
482 millia vulneribus variis : hunc lumine adempto
483 effossisque oculis velut in caligine noctis
484 caecum errare sinit perque offensacula multa
485 ire, nec oppositum baculo temptare periculum.
486 Porro alium capit intuitu fallitque videntem,
487 insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille,
488 excipitur telo incautus cordisque sub ipso
489 saucius occulto ferrum suspirat adactum.
490 Multos praecipitans in aperta incendia cogit
491 nec patitur vitare focos, quibus aestuat aurum,
492 quod petit arsurus pariter speculator avarus.
493 Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
494 occupat interitu, neque est violentius ullum
495 terrarum Vitium, quod tantis cladibus aevum
496 mundani involvat populi damnetque gehennae.

497 Quin ipsos temptare manu, si credere dignum est,
498 ausa sacerdotes domini, qui proelia forte
499 ductores primam ante aciem pro laude gerebant
500 virtutum, magnoque inplebant classica flatu.
501 Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
502 ni Ratio armipotens, gentis Levitidis una
503 semper fida comes, clipeum objectasset et atrae
504 hostis ab incursu claros texisset alumnos.
505 Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni
506 immunes fortesque animi ; vix in cute summa
507 praestringens paucos tenui de vulnere laedit
508 cuspis Avaritiae. Stupuit Luis improba castis
509 heroum jugulis longe sua tela repelli ;
510 ingemit et dictis ardens furialibus infit :
511 "vincimur, heu, segnes nec nostra potentia perfert
512 vim solitam, languet violentia saeva nocendi,
513 sueverat invictis quae viribus omnia ubique
514 rumpere corda hominum ; nec enim tam ferrea quemquam
515 duravit natura virum, cujus rigor aera
516 sperneret aut nostro foret inpenetrabilis auro.
517 Ingenium omne neci dedimus ; tenera, aspera, dura,
518 docta, indocta simul, bruta et sapientia, nec non
519 casta, incesta meae patuerunt pectora dextrae.
520 Sola igitur rapui quidquid Styx abdit avaris
521 gurgitibus. Nobis ditissima Tartara debent
522 quos retinent populos. Quod volvunt saecula nostrum est,
523 quod miscet mundus, vesana negotia, nostrum.
524 Qui fit praevalidas quod pollens gloria vires
525 deserit et cassos ludit fortuna lacertos ?
526 Sordet Christicolis rutilantis fulva monetae
527 effigies, sordent argenti emblemata, et omnis
528 thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
529 Quid sibi docta volunt fastidia ? Nonne triumphum
530 egimus e Scarioth, magnus qui discipulorum
531 et conviva dei, dum fallit foedere mensae
532 haudquaquam ignarum dextramque parabside jungit,
533 incidit in nostrum flammante cupidine telum,
534 infamem mercatus agrum de sanguine amici
535 numinis, obliso luiturus jugera collo ?
536 Viderat et Jericho propria inter funera quantum
537 posset nostra manus, cum victor concidit Achar.
538 Caedibus insignis murali et strage superbus
539 subcubuit capto victis ex hostibus auro,
540 dum vetitis insigne legens anathema favillis
541 maesta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
542 Non illum generosa tribus, non plebis avitae
543 juvit Juda parens, Christo quandoque propinquo
544 nobilis et tali felix patriarcha nepote.
545 Quis placet exemplum generis, placeat quoque forma
546 exitii : sit poena eadem, quibus et genus unum est.
547 Quid moror aut Judae populares aut populares
548 sacricolae summi (summus nam fertur Aaron)
549 fallere fraude aliqua Martis congressibus inpar ?
550 Nil refert armis contingat palma dolisve."
551 dixerat et torvam faciem furialiaque arma
552 exuit inque habitum sese transformat honestum ;
553 fit Virtus specie vultuque et veste severa
554 quam memorant Frugi, parce cui vivere cordi est

555 et servare suum ; tamquam nil raptet avare,
556 artis adumbratae meruit ceu sedula laudem.
557 Hujus se specie mendax Bellona coaptat,
558 non ut avara lues, sed Virtus parca putetur ;
559 nec non et tenero pietatis tegmine crines
560 obtegit anguinos, ut candida palla latentem
561 dissimulet rabiem diroque obtenta furori,
562 quod rapere et clepere est avideque abscondere parta,
563 natorum curam dulci sub nomine jactet.
564 Talibus inludens male credula corda virorum
565 fallit imaginibus, monstrumque ferale sequuntur
566 dum credunt Virtutis opus ; capit inopia Erinys
567 consensu faciles manicisque tenacibus artat.
568 Attonitis ducibus perturbatisque manipulis
569 nutabat Virtutum acies errore biformis
570 portenti, ignorans quid amicum credat in illo
571 quidve hostile notet : letum versatile et anceps
572 lubricat incertos dubia sub imagine visus,
573 cum subito in medium frendens Operatio campum
574 prosilit auxilio sociis, pugnamque capessit
575 militiae postrema gradu, sed sola duello
576 inpositura manum, ne quid jam triste supersit.
577 Omne onus ex umeris rejecerat, omnibus ibat
578 nudata induviis multo et se fasce levarat,
579 olim divitiis gravibusque oppressa talentis,
580 libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
581 foverat effundens patrium bene prodiga censum.
582 Jam loculos ditata fidem spectabat inanes,
583 aeternam numerans redituro faenore summam.
584 Horruit invictae Virtutis fulmen et inpos
585 mentis Avaritia stupefactis sensibus haesit
586 certa mori : nam quae fraudis via restet, ut ipsa
587 calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
588 inlecebris spretoque iterum sese implicet auro ?
589 Invadit trepidam Virtus fortissima duris
590 ulnarum nodis, obliiso et gutture frangit
591 exsanguem siccamque gulam ; compressa ligantur
592 vincla lacertorum sub mentum et faucibus artis
593 extorquent animam, nullo quae vulnere rapta
594 palpitat atque aditu spiraminis intercepto
595 inclusam patitur venarum carcere mortem.
596 Illa reluctanti genibusque et calcibus instans
597 perfodit et costas atque ilia rumpit anhela,
598 mox spolia extincto de corpore diripit, auri
599 sordida frusta rudis nec adhuc fornace recoctam
600 materiam, tineis etiam marsuppia crebris
601 exesa et virides obducta aerugine nummos
602 dispergit servata diu victrix et egenis
603 dissipat ac tenues captivo munere donat.
604 Tunc circumfusam vultu exultante coronam
605 respiciens alacris media inter milia clamat :
606 "Solvite procinctum, justis, et discedite ab armis !
607 Causa mali tanti jacet interfecta ; lucrandi
608 ingluvie pereunte licet requiescere sanctis.
609 Summa quies nil velle super quam postulet usus
610 debitus, ut simplex alimonia vestis et una
611 infirmos tegat ac recreet mediocriter artus
612 expletumque modum naturae non trahat extra.

613 Ingressurus iter peram ne tollito, neve
614 de tunicae alterius gestamine providus ito,
615 nec te sollicitet res crastina, ne cibus alvo
616 defuerit : redeunt escae cum sole diurnae.
617 Nonne vides ut nulla avium cras cogitet ac se
618 pascendam, praestante deo, non anxia credat ?
619 Confidunt volucres victum non defore viles,
620 passeribusque subest modico venalibus asse
621 indubitata fides dominum curare potentem
622 ne pereant. Tu, cura dei, facies quoque Christi,
623 addubitas ne te tuus umquam deserat auctor ?
624 Ne trepidate, homines ; vitae dator et dator escae est.
625 Quaerite luciferum caelesti dogmate pastum,
626 qui spem multiplicans alat invitabilis aevi,
627 corporis inmemores : memor est qui condidit illud
628 subpeditare cibos atque indiga membra fovere."
629 his dictis curae emotae, Metus et Labor et Vis
630 et Scelus et placitae fidei Fraus infitrix
631 depulsae vertere solum. Pax inde fugatis
632 hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis
633 terror et avulsis exfibulat ilia zonis.
634 Vestis ad usque pedes descendens defluit imos,
635 temperat et rapidum privata modestia gressum.
636 Cornicinum curva aera silent, placabilis inplet
637 vaginam gladius, sedato et pulvere campi
638 suda redit facies liquidae sine nube diei,
639 purpuream videas caeli clarescere lucem.
640 Agmina casta super vultum sensere Tonantis
641 adridere hilares pulso certamine turmae,
642 et Christum gaudere suis victoribus arce
643 aetheris ac patrium famulis aperire profundum.
644 Dat signum felix Concordia reddere castris
645 victrices aquilas atque in tentoria cogi.
646 Numquam tanta fuit species nec par decus ulli
647 militiae, cum dispositis bifida agmina longe
648 duceret ordinibus peditum psallente caterva,
649 ast alia de parte equitum resonantibus hymnis.
650 Non aliter cecinit respectans victor hiantem
651 Israhel rabiem ponti post terga minacis,
652 cum jam progrediens calcaret litora sicco
653 ulteriora pede, stridensque per extima calcis
654 mons rueret pendentis aquae nigrosque relapso
655 gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,
656 ac refluyente sinu jam redderet unda natatum
657 piscibus et nudas praeceps operiret harenas.
658 Pulsavit resono modulancia tympana plectro
659 turba dei celebrans mirum ac memorabile saeculis
660 omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
661 fluctibus incisis et subsistente procella
662 crescere suspensosque globos potuisse teneri.
663 Sic expugnata Vitiorum gente resultant
664 mystica dulcimodis Virtutum carmina psalmis.
665 Ventum erat ad fauces portae castrens, ubi artum
666 liminis introitum bifori dant cardine claustra.
667 Nascitur hic inopina mali lacrimabilis astu
668 tempestas, placidae turbatrix invida pacis,
669 quae tantum subita vexaret clade triumphum.
670 Inter confertos cuneos Concordia forte

671 dum stipata pedem jam tutis moenibus infert,
672 excipit occultum Vitii latitantis ab ictu
673 mucronem laevo in latere, squalentia quamvis
674 texta catenato ferri subtegmine corpus
675 ambirent sutis et acumen vulneris hamis
676 respuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
677 inpactum sinerent penetrare in viscera telum.
678 Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
679 commissura dedit, qua sese extrema politae
680 squama ligat tunicae sinus et sibi conserit oras.
681 Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola victae
682 partis et incautis victoribus insidiata est.
683 Nam pulsa culparum acie Discordia nostros
684 intrarat cuneos sociam mentita figuram.
685 Scissa procul palla structum et serpente flagellum
686 multiplici media camporum in strage jacebant.
687 Ipsa redimitos olea frondente capillos
688 ostentans festis respondet laeta choreis.
689 Sed sicam sub veste tegit, te, maxima Virtus,
690 te solam tanto e numero, Concordia, tristi
691 fraude petens. Sed non vitalia rumpere sacri
692 corporis est licitum, summo tenus extima tactu
693 laesa cutis tenuem signavit sanguine rivum.
694 Exclamat Virtus subito turbata : "quid hoc est ?
695 Quae manus hic inimica latet, quae prospera nostra
696 vulnerat et ferrum tanta inter gaudia vibrat ?
697 Quid juvat indomitos bello sedasse Furores
698 et sanctum Vitiis pereuntibus omne receptum,
699 si Virtus sub pace cadit ? " Trepida agmina maestos
700 convertere oculos : stillabat vulneris index
701 ferrata de veste cruor, mox et pavor hostem
702 comminus adstantem prodit ; nam pallor in ore
703 conscius audacis facti dat signa reatus
704 et deprensa tremunt languens manus et color albens.
705 Circumstat propere strictis mucronibus omnis
706 Virtutum legio exquirens fervente tumultu
707 et genus et nomen, patriam sectamque, deumque
708 quem colat et missu cujatis venerit. Illa
709 exsanguis turbante metu : "Discordia dicor,
710 cognomento Heresis ; deus est mihi discolor", inquit.
711 "Nunc minor, aut major, modo duplex et modo simplex,
712 cum placet, acrius et de phantasmate visus,
713 aut innata anima est quoties volo ludere numen ;
714 praeceptor Belial mihi, ac domus et plaga mundus."
715 non tulit ulterius capti blasphemia monstri
716 Virtutum regina Fides, sed verba loquentis
717 inpedit et vocis claudit spiramina pilo,
718 pollutam rigida transfigens cuspide linguam.
719 Carpitur innumeris feralis bestia dextris ;
720 frustatim sibi quisque rapit quod spargat in auras
721 quod canibus donet, corvis quod edacibus ultro
722 offerat, inmundis caeno exhalante cloacis
723 quod trudat, monstribus quod mandet habere marinis.
724 Discissum foedis animalibus omne cadaver
725 dividitur, ruptis Heresis perit horrida membris.
726 Conpositis igitur rerum morumque secundis
727 in commune bonis, tranquillae plebis ad unum
728 sensibus in tuta valli statione locatis

729 exstruitur media castrorum sede tribunal
730 editiore loco, tumulus quem vertice acuto
731 excitat in speculam, subjecta unde omnia late
732 liber inoffenso circum inspicit aere visus.
733 Hunc sincera Fides simul et Concordia, sacro
734 foedere juratae Christi sub amore sorores,
735 conscendunt apicem ; mox et sublime tribunal
736 par sanctum carumque sibi supereminet aequo
737 jure potestatis, consistunt aggere summo
738 conspicuae populosque jubent adstare frequentes.
739 Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes,
740 nulla latet pars Mentis iners, quae corporis ullo
741 intercepta sinu per conceptacula sese
742 degeneri languore tegat, tentoria apertis
743 cuncta patent velis, reserantur carbasa, ne quis
744 marceat obscuro stertens habitator operto.
745 Auribus intentis expectant contio, quidnam
746 victores post bella vocet Concordia princeps,
747 quam velit atque Fides Virtutibus addere legem.
748 Erumpit prima in vocem Concordia tali
749 adloquio : "Cumulata quidem jam gloria vobis,
750 o Patris, o Domini fidissima pignera Christi,
751 contigit : extincta est multo certamine saeva
752 barbaries, sanctae quae circumsaepserat urbis
753 indigenas, ferroque viros flammaque premebat.
754 Publica sed requies privatis rure foroque
755 constat amicitiiis : scissura domestica turbat
756 rem populi, titubatque foris quod dissidet intus.
757 Ergo cavete, viri, ne sit sententia discors
758 Sensibus in nostris, ne secta exotica tectis
759 nascatur conflata odiis, quia fissa voluntas
760 confundit variis arcana biformia fibris.
761 Quod sapimus jungat amor ; quod vivimus uno
762 conspiret studio : nil dissociabile firmum est.
763 Utque homini atque deo medius intervenit Iesus,
764 qui sociat mortale patri, ne carnea distent
765 Spiritui aeterno sitque ut deus unus utrumque,
766 sic, quidquid gerimus mentisque et corporis actu,
767 spiritus unimodis texat conpagibus unus.
768 Pax plenum Virtutis opus, pax summa laborum,
769 pax belli exacti pretium est pretiumque pericli.
770 Sidera pace vigent, consistunt terrea pace.
771 Nil placitum sine pace deo : non munus ad aram
772 cum cupias offerre probat, si turbida fratrem
773 mens incapati sub pectoris oderit antro,
774 nec, si flammicomis Christi pro nomine martyr
775 ignibus insilias servans inamabile votum
776 bile sub obliqua, pretiosam proderit Iesu
777 inpendisse animam, meriti quia clausula pax est.
778 Non inflata tumet, non invidet aemula fratri,
779 omnia perpetitur patiens atque omnia credit,
780 nunquam laesa dolet, cuncta offensacula donat,
781 occasum lucis venia praecurrere gestit,
782 anxia ne stabilem linquat sol conscius iram.
783 Quisque litare deo mactatis vult holocaustis,
784 offerat in primis pacem : nulla hostia Christo
785 dulcior : hoc solo sancta ad donaria vultum
786 munere convertens liquido oblectatur odore.

787 Sed tamen et niveis tradit deus ipse columbis
788 pinnatum tenera plumarum veste colubrum
789 rimante ingenio docte internoscere mixtum
790 innocuis avibus ; latet et lupus ore cruento
791 lacteolam mentitus ovem sub vellere molli,
792 cruda per agninos exercens funera rictus.
793 Hac sese occultat Photinus et Arrius arte,
794 inmanes feritate lupi. Discrimina produnt
795 nostra recensque cruor, quamvis de corpore summo,
796 quid possit furtiva manus." Gemitum dedit omnis
797 Virtutum populus casu concussus acerbo.
798 Tum generosa Fides haec subdidit : "immo secundis
799 in rebus cesset gemitus. Concordia laesa est,
800 sed defensa Fides : quin et Concordia sospes,
801 germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
802 Haec mea sola salus, nihil hac mihi triste recepta.
803 Unum opus egregio restat post bella labori,
804 o proceres, regni quod tandem pacifer heres
805 belligeri, armatae successor inermus et aulae,
806 instituit Solomon, quoniam genitoris anheli
807 fumarat calido regum de sanguine dextra.
808 Sanguine nam terso templum fundatur et ara
809 ponitur auratis Christi domus ardua tectis.
810 Tunc Hierusalem templo inlustrata quietum
811 suscepit jam diva deum, circumvaga postquam
812 sedit marmoreis fundata altaribus arca.
813 Surgat et in nostris templum venerabile castris,
814 omnipotens cujus sanctorum sancta revisat.
815 Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalangas
816 Culparum prodest, hominis si Filius arce
817 aetheris inlapsus purgati corporis urbem
818 intret inornatam templi splendentis egenus ?
819 Hactenus alternis sudatum est cominus armis :
820 munia nunc agitet tacitae toga candida pacis,
821 atque sacris sedem properet discincta juvenus."
822 haec ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
823 desiluit tantique operis Concordia consors
824 metatura novum jacto fundamine templum.
825 Aurea planitiem spatiis percurrit harundo
826 dimensis, quadrent ut quattuor undique frontes,
827 ne commissuris distantibus angulus inpar
828 argutam mutilet per dissona semetra normam.
829 Aurorae de parte tribus plaga lucida portis
830 inlustrata patet, triplex aperitur ad austrum
831 portarum numerus, tris occidua libus offert
832 janua trina fores, totiens aquilonis ad axem
833 panditur alta domus. Nullum illic structile saxum,
834 sed cava per solidum multoque forata dolatu
835 gemma relucenti limen complectitur arcu,
836 vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
837 Portarum summis inscripta in postibus auro
838 nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
839 Spiritus his titulis arcana recondita mentis
840 ambit et electos vocat in praecordia sensus ;
841 quaque hominis natura viget, quam corpore toto
842 quadrua vis animat, trinis ingressibus aram
843 cordis adit castisque colit sacraria votis ;
844 seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos

845 incendat nimius, seu consummabilis aevi
846 perficiat lux plena viros, sive algida borrae
847 aetas decrepitam vocet ad pia sacra senectam,
848 occurrit trinum quadrina ad compita nomen,
849 quod bene discipulis disponit rex duodenis.
850 Quin etiam totidem gemmarum insignia textis
851 parietibus distincta micant, animasque colorum
852 viventes liquido lux evomit alta profundo.
853 Ingens chrysolithus, nativo interlitus auro,
854 hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum,
855 distantesque nitor medius variabat honores.
856 Hic chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
857 lumine vicino ; nam forte cyanea propter
858 stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso.
859 Sardonicem pingunt amethystina, pingit iaspis
860 sardonium juxta adpositum pulcherque topazon.
861 Has inter species smaragdina gramine verno
862 prata virent volvitque vagos lux herbida fluctus.
863 Te quoque conspicuum structura interserit, ardens
864 chrysoprase, et sidus saxis stellantibus addit.
865 Stridebat gravidis funalis machina vinclis
866 inmensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
867 At domus interior septem subnixa columnis
868 crystalli argentis vitrea de rupe recisis
869 construitur, quarum tegit edita calculus albens
870 in conum caesus capita et sinuamine subter
871 subductus conchae in speciem, quod mille talentis
872 margaritum ingens, opibusque et censibus hastae
873 addictis, animosa Fides mercata pararat.
874 Hoc residet solio pollens Sapientia et omne
875 consilium regni celsa disponit ab aula,
876 tutandique hominis leges sub corde retractat.
877 In manibus dominae sceptrum non arte politum
878 sed ligno vivum viridi est, quod stirpe reciso,
879 quamvis nullus alat terreni caespitis umor,
880 fronde tamen viret incolumi, tum sanguine tinctis
881 intertexta rosis candentia lilia miscet
882 nescia marcenti florem submittere collo.
883 Hujus forma fuit sceptri gestamen Aaron
884 floriferum, sicco quod germina cortice trudens
885 explicuit tenerum spe pubescente decorem
886 inque novos subito tumuit virga arida fetus.
887 Reddimus aeternas, indulgentissime doctor,
888 grates, Christe, tibi, meritosque sacramus honores
889 ore pio ; nam cor vitiorum stercore sordet.
890 Tu nos corporei latebrosa pericula operti
891 luctantisque animae voluisti agnoscere casus.
892 Novimus ancipites nebuloso in pectore sensus
893 sudare alternis conflictibus, et variato
894 pugnarum eventu nunc indole crescere dextra,
895 nunc inclinatis virtutibus ad juga vitae
896 deteriora trahi seseque addicere noxis
897 turpibus et propriae jacturam ferre salutis.
898 O quotiens animam, vitiorum peste repulsa,
899 sensimus incaluisse deo ! Quotiens tepefactum
900 caeleste ingenium post gaudia candida taetro
901 cessisse stomacho ! Fervent bella horrida, fervent
902 ossibus inclusa, fremit et discordibus armis

903 non simplex natura hominis ; nam viscera limo
904 effigiata premunt animam, contra ille sereno
905 editus adflatu nigrantis carcere cordis
906 aestuat, et sordes arta inter vincla recusat.
907 Spiritibus pugnant variis lux atque tenebrae,
908 distantesque animat duplex substantia vires,
909 donec praesidio Christus deus adsit et omnes
910 virtutum gemmas conponat sede piata,
911 atque, ubi peccatum regnaverat, aurea templi
912 atria constituens texat spectamine morum
913 ornamenta animae, quibus oblectata decoro
914 aeternum solio dives Sapientia regnet.